Quæstio medica Quodlibetariis excutienda disputationibus In Scholis Medicorum die Jovis 12 novembr.

Amplissimo viro D. Nicolao Jacquart Doctore medico Moderatore sapientissimo.

An, ut In Synocho, sic et Causo Phlebotomia?

Primigenius calor, actionum omnium author et opifex, elementi ætherii analogus, blandus quidem ac suavis, non acrimonia tactum feriens, aëreus et aqueus magis quam igneus, nunquam igneus, hominum vitam tuetur, non adimit. Verum, si quando superata omnino natura, qualitatibus simul ac operibus sejunctus adscititius, haud dubius consequitur extraneus. Sin ita vicerit, ut illius consistens diversis viribus valeat insurgere, morborum cumulus accedit. In quorum serium febris, afflicto corde prodiens adigitur, immoderatam per universum corpus caliditatem, non usquequaque calida profert. Cui quamdiu addicta sit mixta qualibet intemperies, calida tamen siccaque promptius, nonnunquam etiam sæviens: calida cum humida (quam phlebotomia vel ad lipopsychiam curandam) diutius, et sæpe utrumque tutius subjacet.

In hanc, quam illam magis est propensa Synochus, putrida, non putredinis expers: vel ex motu quem lassitudo sequitur, vel ad æstu caloris, vel crudorum effluvii retentione (qua spatiis interclusis putredo nascitur) concepto tandem incendio. Cujus materia sanguis est, qui in viris aut omnibus aut ætatis majoribus fervens alioquin laudabilis in habitu carnoso, vel quadrato, si causa levis est, inducit phlogosin, validior etiam putredinem accendit: in quotidiana sibimet periculosa: difficillima, sed tutius in quartana: in tertiana (cui levissimus debetur victus) citissime dissipabilis. Quæ quo plus a bile (cujus sola est insita qualitas) excitata fuerit, hoc magis in causum erit proclivior.

Causus qui longior migrat in hecticam, ignis et acer et lenis, passim, sed juvenes maxime populatur. Quod calidi siccique, quam humidi frigidi, juvenes quam pueri, viri quam mulieres, iracundi quam placidi facilius capiuntur. Æstas est ad eos gignendos aptior, quam alia temporis constitutio magis opportuna: qua, cum augetur ab aëris fervido calor in visceribus, tum exsiccatæ venulæ biliosos humores in se ipsas attrahunt. Eam causam in ægri perniciem adjuvant vini potus, in acutis non semper interdicendus: inedia non respectanda, picrocholis, magna sitis, aquæ potionis, refrigerationis quietisque tollenda, labor, anxietas, vigilia, vehementes: illa denique, quibus exustæ sanguinis effluviis venæ siccantur, et exarescunt. Quæ, cum in causo quem mera bilis extulit, sævissima sint omnia, in biliosa Synocho sanguinis profusa mitescunt.

Cujus cum illo sunt ita signa communia. Sitis (quæ si sine ratione solvatur, malum) opprimit, jactatur corpus, uruntur interiora, vigiliæ detinent, solitudo quæritur. At in causo peculiariter ista sollicitant. Acrium in crebrum humorum est continua mortalitas, anathymiasis multa: lingua scabra fit et arida, nigra denique. Succedit in labiis et cute squalor. Systoles diastoles vel æqualis vel turbata series, (quod cum visu quam studio tutius, cum furoris terrorum) consequitur. Hoc cum sudor excipit frigidus, tepidus adversantis, frigidus præsertim jam indicat syncopen. Quam, minimus et creberrimus arteriarum motus, frigidi expiratio, quamvis magna præcordiorum febris novissime comitatur.

Ex his omnibus, cum quæ sævissima sunt in vitium creberrime præcipitent, in bilem tum repurgandam, tum extinguendam, veniendum consilium dedit. Eam quidem interdum natura, viris a pugna colligens, vel hæmorrhagia, nunquam tamen in bonis ducenda, vel vomitu, vel alvi dejectione conatur educere. Cui segnius languidiusque expedienti, ptisanæ cremoris largiore manu succurrendum. Instandum cathartico leni, vel cassia in sero lactis dissoluta, vel infuso rhabarbaro. Victus ex frigidis et humidis instituendus. Aër (ab Aquilone quam Austro melior) sollicitabitur purus, et morbo contrarius. Vena sectio, saluberrimum in febribus, cum ex quovis humore putrescente tum ardenti bilis remedium, refrigerans non calefaciens, præmissis mollioribus enematis statim initio procuranda.

Ergo, ut In Synocho, sic et Causo Phlebotomia.

F.M.P. Bibliothèque

Afferebat Franciscus Du Port Crespeiensis Valesius 1573.

Domini Doctores disputaturi.

M. Henricus Blacuod. M. Hugo Prevosteau. M. Nicolaus Ellain.
M. Joannes de Launay. M. Antonius Valet. M. Nicolaus Milot.
M. Joannes Desneux. M. Vincentius Mustel. M. Hieronymus de Varades Medicus Regius.